



Universitätsbibliothek Paderborn

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina
Indicabit

V. P. Gasparis Družbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias
Examini Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,
præsertim Religiosis accommodatum

Družbicki, Kaspar

Ingolstadii, 1732

VD18 90066413

Industria XIII. Ratio Examini super virtutes, & super occasiones virtutum,
usumque earum, gratiarumque actualium ad ipsas oblatarum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45441

EXAMINIS XIII.

Ratio Examiniſ ſuper virtutes, & ſuper occaſiones virtutum, uſumque earum, gratiarumque actualium, ad ipſas oblatarum.

Occaſionum ſive ad malum, ſive ad bonum, infinita eſt multitudo, nempe ita providente Numiniſ æterni voluntate, ut nunquam & nuſquam nobis merendi deſit occaſio, merendi, inquam, vel per fugam victoriamque malarum occaſionum, vel per proſecutionem uſumque occaſionum bonarum, ſive ad bonum ſeſe offerentium. Inde vita hominiſ appellata eſt juſte tentatio & militia ſuper terram. Inde etiam homo ad laborem natus eſſe dicitur, ſicut avis ad volandum. Et ſane cui bono ratione præditi, providi, memores, reflexivi, deliberativi, electivi, liberi eſſemus conditi, ſi non eſſet nobis opportunitas perpetua hiſce facultatibus, quibus ſolis ſupra bruta ſumus utendi. Et verum eſt quidem innumeros mortales longè ad alia ſtudia indolem iſtam ſuam convertere, juſtorum tamen virorum, atque perfectioniſ amatorum eſt, non vivere ad exempla naturam non ſequentium, & pervertentium, ſed potiùs obſequi naturæ ſuæ, rationique rectæ, & ejuſ indolem ad ea, ad quæ, à Deo condita, ipſiſque conceſſa eſt, contemplanda, perficiendaque dirigere, ac in eorum exercitatione perpetuò occupare. Hoc eſt enim ſolum, ac unum opus, cujuſ operandi gratiâ *Deus fecit omne genus humanum* (ut Pauluſ ait Actoꝝ. 17.) *inhabitare ſuper univerſam faciem terra, deſiniens ſtatuta temporâ, & terminos habitationiſ eorum, quarere ſcilicet*
V. P. Druzb. Op. IX. E Deum,

Deum, si forte attrectent eum, ac inveniant, inveniant, inquam, per usum rationis, per usum liberi arbitrii, per discretionem boni & mali, turpis & honesti, melioris & optimi, mediocri & finis, perque reprobationem eorum, quæ sunt rectitudini inimica, per prosecutionem eorum, quæ sunt conformia rationi & Divinæ rectitudini, regulæ, ac voluntati. Hoc ergo ut dixi hominum est opus, sed hominum non pervertorum, qui non tantum difficile corriguntur, sed etiam facile pervertuntur, & per risum malum operantur: *Et bibunt sicut aquam iniquitatem, dicuntque insuper, bonum malum, & malum bonum, ac Deo respondent; recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Vanus enim est qui servit Deo.* Non horum, inquam, est hoc opus, sed illorum, qui pulchritudinis studium habent, qui amant & faciunt veritatem, qui esuriunt & sitiunt justitiam, quorum voluntas in lege Domini die ac nocte, quorum ratio lex eterna. Qui diligunt mandata Dei super aurum & topazion, super mel & favum, &c. Horum est hoc opus, omnem occasionem mali vel declinare, vel superare, omnem occasionem boni arripere, & usurpare. Ad hoc facit Industria præsens aliqua ex parte, quæ præscribit rationem Examini super occasiones, superque usum occasionum, quæ sese ubique offerunt, ac præcipue in quotidianis actionibus, & eventibus nostris, ad exercendas virtutes, simulque ad effugiendas imperfectiones. Examini porro hujus Partes & Puncta hæc erunt.

PUNCTUM I Continebit Gratiarum actionem Deo pro gratiis actualibus, pro auxiliis, pro occasionibus, mente, ore, opere, bene ac virtuose

g. D. r. e. e
 b. i. c. t. i.
 o. p. e. r. a. s. e.
 T. o. m. u. s. I.
 N. o. v.
 58

tuosè agendi, tibi ab ipso gratiarum fonte liberaliter concessis.

PUNCTUM II. Continebit Petitionem magni & efficacis Luminis, ad cognoscendas, datas à Deo, neglectas, vel etiam usurpatas, à te, virtutum, & proficiendi in eis occasiones, atque gratias actuales.

PUNCTUM III. Continebit inspectionem variorum Caputum, in quibus Gratia, inspirationes, virtutum exercendarum occasiones, vel esse communiter solere experimur, vel re ipsa fuerunt, vel nisi ex nobis impedimentum culpabile fuisset, futuræ erant.

PRIMUM CAPUT quotidianorum ordinariorum operum diurnorum, uti sunt: surgere, orare, Sacrum dicere, vel audire, studere, preces canonicas dicere, cibum sumere, officium suum quodcumque illud est, exequi, &c. quæ omnia sunt & ipsæ occasiones virtutum, & in sese eas continent, seu eas subministrant, tum naturâ suâ illas requirendo, tum etiam ex nostra voluntate adjunctas quasi perferendo, & ex earum adjunctione, gratiam pondusque & efficaciam recipiendi.

2. **CAPUT** erit operum extraordinariorum, quæ nimirum nec quotidie, nec certis esto extra ordinem diebus eveniunt, aut fiunt, incidunt tamen, ut fieri debeant, nec prævideri possunt à nobis futura: sed ab occasionibus quasi fortuito venientibus provocamur ad opera competentia, in quibus eodem modo occasiones sunt virtutum cum quibus exerceri possunt aut debent. Quas extraordinarias occasiones operum, (cito prævideri in particulari non possint) tamen

expedit prævidere in genere, vel etiam specie, & sic prævisis regulas præparatas habere juxta quas parati simus eas agere, si se fors obtulerit: hæc enim prævisio & præparatio, multæ facilitatis erit mater, multas imprudentias præpediet, multas rectitudines actionesque universas causabit; hujus autem defectu, secus omnia evenient.

3. CAPUT est operum ordinariorum quidem, sed non diuturnorum, seu non quotidianorum, talium tamen quæ certis diebus ordinariè aguntur: ut sunt; confiteri de peccatis, Eucharistiam sumere, externam mortificationem, privatim, vel publicè facere, officium aliquod in triclinio, culinâ, alibique operari, concioni, exhortationi interesse, visitare aliqua loca, vel personas, &c. In quibus etiam peragendis operibus, occurrunt multæ virtutum occasiones exercendarum.

4. CAPUT est operum Irregularium, quæ ideo irregularia voco, quòd ex communissimo etiam perfectorum usu agendi, sine regula rationis fiant, nedum fiant ex regula supernaturali, ut sunt; ad strepitum, vel ingressum alicujus convertere oculos, ad prurimum corporis, vel morsum pulicis manum fricaturam convertere, ad objectum insolens in risum ora solvere, interloquendum cum aliquo, motare manus, digitos, aliquid manu versare &c. hæc opera regulam ordinariè non habent, immò humanæ fragilitatis fere non est, omnibus regulam rationis, aut fidei adjungere, attamen qui passiones seriodomitas habent, multa ex his vel refecare, vel advertentiæ subdere, ut legimus in Sanctorum gestis, possunt.

5. CAPUT

Dr. C.
Bicki
operi
Tomus I
N. V.
58

5. CAPUT eſt operum aſſumptorum ſponte ab aliquo, quæ reſpectu aliorum non ſunt communia, reſpectu hujus qui aſſumpſit ea ſibi agenda, ſunt ordinaria, ſubſtrata tamen communibus, & diſciplinæ communi, & per ſe aut bona, aut ſaltem non mala ſunt, talia ſunt certi generis opera corporalia, & exercitia in diem fieri ſolita ab aliquo; item certarum precum vocalium oratio, officium de Conceptione, Paſſione, Sancto aliquo &c. viſitatio infirmi domeſtici.

6. CAPUT eſt operum ab aliis vel impeditis, vel negligentibus, vel abſentibus derelictorum, vel certe ad petitionem alterius &c. Vel certè nulli præſus ab obedientia injunctorum, talia ſunt; infirmorum, abſentiumque officia ſupplere, in ſervitio ad menſam, in culina, in purgando cubiculo, vel loco aliquo publico, ſacro ſervire pro alio, ſupplere pro alio concionem, catechiſmum, confeſſionem, aſſumere viliora, ab aliis præterita, in veſtitu, cibo, lecto, libro, cubiculo, petentem ſe juvari, vel pro ſe ſuppleri, facile audire, & juvare, immò ſpontè operam offerre, tempora vacua ſuffurari, & Deo, orationi, lectioni, actibus piis dare, alium in miniſtrando tibi officio negligentem, incurium, incommodumvè ſuſtinere, neque de eo queri apud ullum, præſertim qui punire poſſit, niſi aliud juſta ratio exigat, defectus alienos leviores ſi tibi imputentur, ſuper te ſuſcipere, nec ſeſe purgando alium authorem vulgare.

7. CAPUT eſt operum ejus virtutis propriorum, quam quis ad exercendum propoſitam habet, tam externis, quam internis, iisque variis actibus:

actibus: quos menstruæ virtutis actus, non solum ita facere oportet, ut scilicet omnia ordinaria hujus temporis, aut mensis opera fiant ex intentione hujus virtutis, sed insuper opus est, ut actus, proprii hujus virtutis, per omnes dies mensis fiant certis vicibus, certis temporibus, certo numero.

8. CAPUT est propriarum consuetudinum, (multòque magis ex usu communis vitæ servari solitarum) in operibus servandarum, ut sunt consuetudines surgendi, edendi, studendi &c. In his ac similibus operibus occasiones sunt plurimarum virtutum, sunt etiam ordinariè occasiones, ac seminaria inspirationum, & gratiarum actualium, quas examine isto oportet expendere, an sint exercitæ, & in effectum deductæ, & quidem quod ad virtutum occasiones attinet, prima ratio habenda est Obedientiæ, communis vitæ ac disciplinæ, exempli boni, charitatis Divinæ, ac fraternæ, regularum, discretionis, prudentiæ, intentionis bonæ, perseverantiæ. Deinde habenda ratio exempli Christi Domini, & doctrinæ, simulque Pretiosissimæ Parentis, & Sanctorum. Posthæc habenda ratio humiliationis, occasio patendi, tam intus quàm extra. Insuper habenda ratio est perfectionis, & heroici gradus, ut ad cum opera seu potius virtutes operibus juncta deducantur v. g. ut sit purissima Intentio, Præsentia Dei cum reverentia sublimi, Charitatis ardentis, sive Dei, sive proximi, gradus, attentio, conatus, applicatio, diligentia fervens, fervor intensus, devotio exercitata promptitudinis & exaggerata, oblivio sui, omnisque boni, omnis spei, omnis meriti, omnis

G. Dr. C.
Bicki
oper. as e
Tomus I
N. V
58

omnis voluntatis & placiti, atque etiam deſignationis propriæ, reſignatio & conformitas plena, omnimoda, in Dei voluntatem, placitum, diſpoſitionemque, ſacrificatio ſui ad puritatem & totalitatem holocauſti pertingens in opere, & per opus, ut ſcilicet fiat in charitate, ex charitate, propter charitatem, cum charitate gratuita, inceſſabili. Præterea, habenda eſt ratio exercitii, ſive Virtutis menſtrux, quam quis hoc tempore, ad exercendum, ſeſeque in ea perficiendum propoſitam habet, ut ex eadem, & cum eadem virtute opera fiant, ejusque virtutis tum Intentio, tum actus proprii in operibus quoad poteſt fieri, eliciantur.

Jam verò quod attinet ad gratias actuales, quarum ſeminarium experimur, magis quàm regulam ſcimus, eſſe in operibus noſtris, haſ quoque expedit noſſe, cognitâ arripere, & vel ſtatim, vel cum commodum fuerit, effectui dare. Solent autem gratiæ eſſe aliquæ appropriatæ operibus, & proportionatæ, aliquæ nihil cum operibus, vel ſaltem nihil cum iſtis operibus commune habentes: utraſque viri pii debent maximè æſtimare. Interim tamen, primarum curam & examen in præſenti ſuademus, neglectumque ſummè damnofum dicimus. Videbit ergo ſpiritualis homo, quas in unoquoque opere ſux vitæ habere ſoleat inſpirationes, illuminationes, exercitationes, permotiones, dictamina, ſtimulos, oblectationes, propoſitiones, & quaſi pellectiones, timores item deterritionemque, ac remorſus. Item impuſſus vel avocationes, uti ſunt v. g. in actiõne ſurgendi; Surge ad punctum temporis, ne trahe moras,

primitias cogitationum Deo fac, actus consu-
 tos elice, modo consueto, &c. Item ad Sacrum
 in præparatione; Da sufficiens tempus præpa-
 rationi, fac debitam præparationem & so-
 litam, hanc præparationis partem non negli-
 ge, hoc aut illud adde, impertinentia non
 admitte, quæ non sunt huius temporis, sacerdo-
 tem agis nunc, non officialem istum, aut illum.
 Hæc & similia dictamina in opere nostro, nobis
 occurrunt, si modò non ponimus impedimen-
 tum ne occurrant. Impedimenta porro poni-
 mus variis modis. v. g. effusione ad extranea, in-
 ordinatione vitæ, festinatione, & angustiis tem-
 poris, regularum neglectu, quotidianis pecca-
 tis venialibus, & quidem gravioribus, tepore
 animi, neglectu inspirationum, vel in similibus
 aliis occasionibus, vel in aliis desuetudine dili-
 gentiæ. Item quæstione sui, in rebus & operi-
 bus, infidelitate ad Deum ingratitude, rebel-
 lione conscientiæ, luminis & veritatis. Affectu
 impotenti & perturbato, præcipuè cupiditate,
 iracundia, amaritudine, aversione animi, impa-
 tientia, recenti curâ & sollicitudine impressâ
 apprehensioni, aut certè urgenti, in qua non
 moderamur animum. Taceo peccata mortalia,
 quæ in justis locum non habent, præcipuè profi-
 cientibus. Super hæc impedimenta examen fa-
 ciendum est, & super gratias quæ hominibus
 ordinariè dantur, si impedimenta non ponant;
 faciendum, inquam, est, an fuerint? quæ? quot?
 quàm potentes & urgentes gratiæ? quàm citò
 notatæ sunt? quàm promptè obeditum sit iis?
 cur non obeditum? cur (si non fuerunt) non
 fuerunt? quæ? & quare impedimenta sint data?
 PUN-

G. Dr. C. C.
 Bicki
 Oper. 28 C
 Tomus I
 N. V
 58

PUNCTUM IV. Continebit dolorem de negligentis à te commiſſis, item eorum ſuppletionem. Continebit actionem gratiarum, pro gratiis & occaſionibus, & uſu earum.

PUNCTUM V. Continebit emendationem in aliquo particulari Puncto, veniam petet, petet quoque lumen in intellectu, & efficaciam in affectu, & delectationem ex utroque ut conſequatur efficax uſus occaſionum bonarum & gratiarum, & proſectus in exercitio virtutum.

Hæc Industria atque Examen per illam traditum, pluribus Industriis & examiniſ æquivalet, proinde & magni æſtimandum, & uſus ejus familiaris valdè habendus eſt, præcipuè proſicientibus, & ad perfectionem perfectionis adſpirantibus.

INDUSTRIA XIV.

Ratio Examiniſ Conſcientiæ, ſuper gratias, lumina, dictamina, veritatesque nobis à Deo communicatas.

IN ſuperiori Industria, duplicium gratiarum feci mentionem, quarum aliquæ dantur à Deo tempore operum, appropriatæque ſunt iſis operibus, quædam verò dantur, quaſi promiſcuè, non appropriatæ ad tempora, & opera, in quibus dantur, ſed tamen utiliter dantur, quia illarum uſus poteſt eſſe in operibus noſtris. Harum gratiarum utræque plerumque actuales eſſe ſolent, nihilominùs utræque videntur poſſe etiam, ac ſolere fieri habituales; experimur quippe habitualiter illa lumina atque dictamina, & ſtimulos motusve in nobis permanere, qui

E s

datis